PIST. *Germen* oblongum, pubescens. *Stylus* subulatus, crassiusculus. *Stigma* obtusum, subcapitatum.

ϐ) BAUHINIA aculeata. *Spec. Pl.* 374: 2.

CAL. . . .

PER. *Legumen* oblongum, compressum, planum.

SEM. subrotunda, compressa.

## 101. PARKINSONIA. *Gen. Pl.* 407.

Præter vulgarem speciem in Hortis Europæ non infrequentem, alteram, ni fallor, hic observavi floribus ejusdem gaudentem, sed facie, foliis &c. valde dissimilem, cujus tamen exactam, non possideo descriptionem; primis namque accessus mei diebus in hanc terram, floruit, copiaque plantarum visendarum obrutus, omnia perfecte notare haud valui.

α) PARKINSONIA foliis pinnatis pallidis planis.

β) PARKINSONIA foliis conjugatis incanis.

PER. *Legumen* lineare, lanceolatum, planum, membranaceum, medio oblongum, protuberans.

SEM. unicum, oblongum, utrinque obtusum.

## 102. POINCIANA. *Gen. Pl.* 409.

CAL. deciduus, coloratus.

COR. *Petala* quatuor, subrotunda, fere æqualia, patentia, divaricata; *Ungvibus* linearibus, superne latioribus; quintum superius (non infimum, quia foliolo infimo Calycis oppositum) erectius (non patens), longitudinaliter convolutum; *Lamina* mucronata.

PIST. . . . *Stigma* obtusum, simplex.

## 103. GUAJACUM. *Gen. Pl.* 410.

Species duas legi fructu inter se diversas & Drupa diversissima. Character secundum plantas a me visas, est sequens.

CAL. *Perianthium* pentaphyllum, patens; *Foliolis* ovatis, duobus exterioribus paulo minoribus, deciduis.

COR. *Petala* quinque, ovata vel subrotunda, obtusa, patentia; *Ungvibus* linearibus.

STAM.